

efficaciæ vocatur, dico, si aliquid est, non esse prædeterminationem, sed vel aliquam vocationem, vel actionem ipsam liberam, quæ a voluntate vocata cum Dei auxilio fit. Nam cum dicitur *initium efficaciæ*, dupliciter potest sumi: uno modo, pro initio activo efficaciter, ita ut semper habeat effectum, in quo sensu illud additum *efficaciæ* sumitur in vi adjectivi, ut idem sit quod initium efficax. Et tale initium non distinguitur a vocatione congrua et efficaci, et de tali initio efficaci etiam loquitur Concilium Arausicanum, quia illud etiam datur a solo Deo, et mere gratis, et prius saltem natura quam homo libere determinetur. Ex hoc vero sensu, nullum argumentum sumitur ex dicta definitione Concilii contra nos, imo nos inde argumentum sumimus, quod hoc initium efficax sufficiat ut in omni bono opere nos non incipiamus, quia semper præcedit efficax vocatione Dei. Alio igitur modo initium efficaciæ dicitur initium formale (ut sic dicam) ipsius consensus, quod non est aliud nisi actio ejus, quæ, ut dixi, potest dici initium intrinsecum ipsius actus, sicut potest actio dici initium sui termini, et ad hoc significandum dici potest *efficaciæ*, id est, actualis effectio ipsius consensus. Et hæc acceptio initii est (ut dixi) extra mentem Arausicani Concilii, et ideo quidquid de illa sit, nihil ad præsentem difficultatem refert.

8. *Assertio tertia de initio proximo, seu efficaciæ consensus voluntatis.*—Dico igitur tertio, loquendo in hoc sensu de initio proximo, seu efficaciæ consensus voluntatis, tale initium ab ipsa voluntate fieri, non tamen sola, sed simul cooperante et adjuvante Deo physice, efficienter ac propriissime, et ideo propter tale initium non esse necessariam nec possibilem prædeterminationem salva nostra libertate. Hoc satis probatum est in superioribus, supposita explanatione terminorum, et ideo non oportet probationes repetere, præsertim cum hæc sit expressa sententia Bernardi in verbis citatis, et Augustini etiam in locis allegatis, præsertim dicta q. 2 ad Simplician., et q. 68 ex 83, et l. 1 Retract., cap. 23, ubi recognoscit quod dixerat in libro Quarundam propositionum in epistola ad Roman. (*Nostrum est credere et velle*): *Verum est* (inquit) *sed eadem regula, scilicet, quod utrumque* (utique credere, et bene operari aut velle) *Dei est, quia ipse præparat voluntatem, et utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis.* Et adjungit: *Ac per hoc quod etiam postea dixi, quia neque velle possumus nisi vocemur, et cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, et cur-*

sus noster, nisi Deus et vires currentibus præbeat, et perducatur quo vocat, etc., verissimum est, sed parum de ipsa vocatione disserui, quæ fit secundum propositum. Ubi aperte docet quidquid post vocationem fit in nobis, non fieri sine nobis, quamvis etiam non fiat sine viribus gratiæ, neque dixit necessarium esse aliud principium efficaciæ, quod sine nobis fiat præter congruam vocationem. Quapropter longe alienum est a nostro sensu dicere initium efficaciæ ita esse nostrum, ut non sit Dei, quia potius asserimus ita esse Dei, ut sit etiam nostrum. Nec etiam asserimus esse a Deo tantum moraliter, sed etiam physice; sed dicimus, etiam physice non tantum esse a Deo, sed etiam a nobis, neque etiam in hoc genere causalitatis per se et physice est prius natura a Deo quam a nobis, licet neque prius sit a nobis, quam sit etiam a Deo per propriam et simultaneam efficientiam. Quæ omnia latissime sunt a nobis in superioribus probata, et sæpius declarata. Ac denique non minus doctrinæ nostræ repugnat dicere, ita voluntatem nostram se ad agendum seu volendum applicare, *ut nos soli simus causa physica applicandi prævenientem gratiam ad usum*; nam licet nos simus causa, non tamen sine Deo, et ideo non soli; parum enim refert mutare nomen consensus aut determinationis in nomen applicationis, nam res eadem est, et quidquid est, si a nobis fit, etiam a Deo fit; et si est aliquid supernaturale, non fit sine cooperatione et influxu alicujus principii gratiæ et supernaturalis, quod dicitur applicari a nobis, non quia nos soli aliquid in illud efficiamus, sed quia veluti ultima concausa, quæ ad illum usum gratiæ expectatur, est nostrum arbitrium, ut supra declaravi.

9. *Corollarium.*—Unde ultimo colligo frustra nobis objici quod gratiam faciamus pedisequam arbitrii, vel quod illam humanæ obedientiæ subjiciamus. Quia imprimis obedientia, quæ per hanc determinationem liberam datur Deo vocanti, non fit sine adjutorio gratiæ, ut dixi; ergo illa non potest dici obedientia humana, in sensu in quo loquebantur Semipelagiani, quos damnat Concilium, specialiter illa voce utens, can. 3 et 6; sed dicenda est obedientia supernaturalis, et quodammodo divina, sicut vocatio humana dicitur quæ sine spiritu fidei fit, quæ autem a divina inspiratione procedit jam non est humana. Deinde ista obedientia supponit gratiam prævenientem, et est effectus ejus; ergo determinatio ex parte voluntatis est pedise-

qua illius gratiæ, et non e converso. Nam per illam gratiam inducitur voluntas, dirigitur, et gubernatur, et voluntas illi subjicitur. Unde hæc gratia non tantum præcedit in essendo, ut objiciebatur, sed etiam in causando, vel formaliter, physice afficiendo intellectum et voluntatem, vel effective, moraliter suadendo, et excitando, ac finaliter alliciendo. Et quatenus est principium adjuvans, actualiter etiam præcedit ordine naturæ. Ipse vero influxus gratiæ adjuvantis est omnino simul, et ideo nec respectu illius potest gratia adjuvans dici pedisequa, sed solum comitans, quod verissimum est. Igitur ex eo quod prædeterminatio physica non præcedat, non sequitur præcedere nostram determinationem ad influxum gratiæ concomitantis, et ideo nullo modo sequitur gratiam esse pedisequam liberi arbitrii, ut sæpe responsum ac declaratum est.

10. *Epilogus capituli.*—Concludo igitur nullum argumentum in favorem physice prædeterminationis ex illo Concilio sumi posse. Ex quo imprimis pro nobis resultat argumentum ab auctoritate negativa, quod, ut sæpe dixi, in hac materia est urgens, quia hæc Concilia accurate doctrinam de Gratia traderunt, præsertim quæ necessaria erat contra errores quos refellebant. Secundo, sumimus argumentum etiam positivum valde probabile, ex verbis quibus illud Concilium nobis declarat prævenientia auxilia, eorumque causalitatem et efficientiam; semper enim utitur nominibus significantibus vitales actiones intellectus et voluntatis, et modum moraliter excitandi et movendi. Talia sunt illa verba canonis 5, *per inspirationem Spiritus Sancti corrigentis voluntatem*, per quæ explicat similes locutiones Scripturæ, ad Philipp. 1, et ad Ephes. 2. Item illa canon. 6: *Ut hæc omnia agere valeamus, per infusionem, et inspirationem Spiritus Sancti in nobis fit.* Et illa can. 7: *Non absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, et credendo veritati.* Nullis enim verbis poterat moralis inductio melius declarari. Nec refert quod utatur etiam verbis faciendi et operandi, et nomine operationis, tum quia hæ voces generales sunt, et declarantur per alias proprias et specificas, tum quia inspiratio est propria operatio et effectio Dei in nobis. Unde per illam facit Deus ut velimus, ut in superioribus declaratum est. Ultimo expendimus illa verba canonis 25: *Hoc etiam secundum catholicam fidem credimus, quod, accepta per Baptismum gratia, omnes*

baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem pertinent possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Hæc enim verba vera esse non possunt, nisi auxilium illud, quod necessarium est ad consentiendum gratiæ, eaque bene utendum ad servanda mandata, sit in hominis potestate, quod esse non potest si sit physice prædeterminans. Item illa conditio: *Si fideliter laborare voluerint*, aperte ostendit hominem posse impedire vel non impedire efficax auxilium, quod tamen de prædeterminante dici non potest, et ideo ab eodem Concilio per inspirationem declaratur, dum ait: *Ipse, nullis præcedentibus bonis meritis, fidem et amorem sui prius inspirat, ut et Baptismi sacramentum fideliter requiramus, et post Baptismum cum ipsius adjutorio, ea quæ sibi sunt placita, implere possimus.*

CAPUT XXXIX.

QUID ALIA CONCILIA VEL PONTIFICES SUMMI DE GRATIA EFFICACI SENSERINT.

1. Post superiora Concilia usque ad nostra tempora, in cæteris provincialibus Conciliis nihil fere de Gratia traditum est; nam licet anno Domini 853, Concilium Valentinum Galliæ, tempore Benedicti III celebratum, controversiam de gratia tetigerit, solum approbat et sequitur quod in prioribus Conciliis definitum fuerat; quatenus autem in cap. 2 definit malos ideo perire, quia boni esse possunt, et cap. 3 damnat, cum Concilio Arausicano, dicentes aliquos esse prædestinatos ad malum, potest ejus auctoritas contra prædeterminationem physicam induci. Sed de hoc satis et generaliter dictum cap. 14, expendendo rationes de auxilio sufficienti, et lib. 3, excludendo prædeterminationem ad malum.

2. *Concilium Senonense expenditur.*—Pro nostra ergo sententia solum expendimus doctrinam Concilii Senonensis, de cujus auctoritate in prolegom. 6 dixi. Illud ergo Concilium, in decretis fidei, cap. 15, multa docet quæ ad præsentem causam multum referunt, et ideo accurate expendenda sunt. Nam quædam sunt verba quæ nostram sententiam aperte docere, alia vero quibus physicam prædeterminationem omnino refellere videtur. Priora verba hujusmodi sunt: *Neque liberum arbitrium asserentes, divinam excludimus propterea gratiam, quod illi* (id est, Novatores) *falso toties imponere non verentur, atque hoc sumo credu-*

lorum oculos perstringere; sed juxta Scripturam sacram eo extendimus, ut voluntas humana, misericordiæ prævenientis auxiliis suffulta, et interiori quodam, et occulto secretioris inspirationis afflatu contacta, sese convertat in Deum, Deo appropinquet, et ad veram illam gratiam sese præparet, qua tandem accepta sit ad vitam æternam. In quibus verbis imprimis advertimus non loqui Concilium solum de gratia, qua voluntas humana se potest convertere, sed de gratia, qua se convertit, et ad sanctificantem gratiam præparat; ait enim ad hoc extendi libertatem humanæ voluntatis, ut afflatu divinæ inspirationis contacta, sese convertat in Deum, etc., non ergo tantum ut possit, sed etiam ut sese convertat. Per inspirationis autem afflatum seu contactum, certe non intelligit prædeterminationem, sed quod Scriptura illis verbis solet significare, et quod Concilium Tridentinum dixit: *Ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem.* Illa ergo inspiratio ex parte prævenientis gratiæ sufficit, juxta Senonense Concilium, ut voluntatis libertas ad conversionem in Deum extendatur, et consequenter ut talis inspiratio effectum suum consequatur, ac subinde sit efficax. Neque illud Concilium agnovit aliam prævenientem motionem distinctam ab inspiratione, quæ inter contactum ejus, et conversionem necessaria sit.

3. In sequentibus autem verbis talem prædeterminationem excludere videtur: *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereât, in quo Deus non stet ad ostium, et pulset, cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum, et cœnabit cum illo, nec denique tale sit hujusmodi trahentis Dei auxilium cui resisti non possit.* In quibus verbis multa sunt quæ sententiam nostram plurimum confirmant. Ultima vero plane videntur contradictoria assertioni physicæ prædeterminationis; nam qui illam astruunt, consequenter fatentur non magis posse voluntatem humanam resistere auxilio prædeterminanti, quam voluntati divinæ, absolute et efficaciter volenti, quia hæc voluntas in illo auxilio virtute continetur. Ita affirmat Bannez, 1 p., quæst. 14, art. 13, § *Secundo est notandum*; Davila, cap. 40 et 37; Alvarez in cap. 10 Isaiaë, et de Auxiliis, disputat. 93. Verba autem Concilii Senonensis contradictoria omnino sunt, ut ex terminis constat.

4. *Evasio.*— Huic testimonio ex his verbis

variæ dantur evasiones, quas expendere necesse est. Prima est Concilium Senonense loqui de auxilio efficaci oblato a Deo, non autem de auxilio efficaci recepto in ipso arbitrio; ita P. Alvarez, dicta disp. 93, ad 1, in fine, num. 4, et dicit explicationem colligi ex ipso contextu: *Nam loca* (inquit) *Scripturæ adducta a Concilio ostendunt ipsum loqui de auxilio efficaci oblato, cui resisterunt Judæi.* Hæc vero responsio refutatur primo, quia involvit contradictionem in eadem doctrina; nam si auxilium efficax est physice prædeterminans, vel datur, vel omnino negatur, ex parte Dei, cui actu non datur, et ideo nunquam ita datur ut ei resisti possit, vel potius ut possit obex poni ex parte hominis infusioni ejus, ut in superioribus late probavi, non solum ex principiis ipsius doctrinæ, sed etiam testimoniis auctorum ejus, et in particulari ejusdem Alvarez, qui constanter negat posse dari ex parte hominis dispositionem liberam ad hoc auxilium, tam negativam quam positivam. Ex quo evidenter sequitur non posse hominem ponere obicem huic auxilio, cum ex libera ejus dispositione non pendeat; ergo etiam repugnat hoc auxilium offerri cui non datur.

5. Unde, quod ad nos attinet, libenter admitteremus interpretationem Concilii, si vera esset. Quia si auxilium efficax tale est ut vere possit offerri ex parte Dei, et impedi ex parte hominis, evidenter sequitur non esse auxilium prædeterminans. Ergo, quacumque ratione dicat Concilium Senonense posse hominem resistere auxilio efficaci, sive ne introducatur in homine, sive ne introductum operetur, optime infertur non esse prædeterminans. Addimus vero interpretationem esse contra Concilii contextum; nam prius ait quod voluntas humana, misericordiæ prævenientis auxilio suffulta, et interiori inspirationis afflatu contacta, libere sese convertit. Hoc autem non facit voluntas per auxilium oblatum, sed per auxilium datum, nec dici potest suffulta et contacta, donec in se aliquid recipiat, et tamen de illa sic afflata probat Concilium libere operari, quia tale est hujusmodi trahentis Dei auxilium, ut ei resisti possit; ergo loquitur de auxilio non tantum oblato, sed recepto. Probatur sententia, tum ex contextu et consequentia sermonis, tum quia alias probatio esset æquivoca et futilis; nec testimonia Scripturæ, quæ Concilium adducit, loquuntur de resistentia, quæ fit gratiæ oblatæ, sed de illa quæ facta est a Judæis auxiliis sibi collatis. De illis enim loquebatur Christus cum dicebat, Matth. 24: *Quoties volui congregare filios tuos, etc., et nolivisti; præmiserat autem: Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, per quos nimirum Deus vocaverat eam, et non solum obtulerat, sed etiam contulerat auxilia, quibus converterentur, si vellent; et eodem modo loquitur Stephanus, Actor. 7, dicens: Vos semper Spiritui Sancto resistitis; quæ testimonia Concilium affert.*

6. Respondebunt, opinor, restitisse Judæos sufficientibus auxiliis collatis, et efficaci oblato. Sed responsio supponit efficax auxilium esse distinctum a præveniente, cui resisti potest; quod tamen est contra doctrinam illius Concilii; expresse enim dicit illudmet auxilium præveniens, quo homo convertitur in Deum, tale esse ut ei resisti possit, et ideo conversionem esse liberam; ergo, etiam respectu auxilii efficaci, requirit ad libertatem actus resistendi potestatem. Imo (ut supra circa Concilium Tridentinum notavi), ut ratio Concilii sit efficax, et non sit ex puris particularibus, necesse est ut loquatur de omni auxilio præveniente necessario ad efficaciam auxilii, alioqui non recte probaret actum esse liberum, quia uni auxilio prævenienti potest homo resistere, si alteri non possit resistere. Unde cum singulariter loquatur de auxilio præveniente, vel sentit esse unum tantum, vel collective loquitur de toto auxilio præveniente ac trahente, ac de illo, etiam quando actu operatur, dicit posse hominem illi resistere, etiam quando illi non resistit. Unde consequenter etiam sentit illud idem auxilium, cui homo resistit, de se esse efficax, et futurum fuisse efficax, si homo voluisset, seu si per eum non stetisset. Et propterea optime inducit illa testimonia, ut ex eo quod homini imputatur, quando auxilium manet inefficax, inferat, etiam quando est efficax, posse hominem illi resistere, quia nimirum idem omnino auxilium præveniens est, cui homo interdum resistit, interdum vero non resistit, licet possit. Neque in alio sensu potest tota illa doctrina firma et solida inveniri. Quod verbis sequentibus optime confirmat, dicens: *Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret spiritum ne extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur; quæ ratio vim habet in prædeterminatione, quia respectu illius cui datur frustranea esset talis admonitio, quia inevitabiliter illum rapiet; magis autem vana respectu ejus cui non datur, quia esset de re sibi impossibili. Non agnoscit ergo Concilium tale genus rapientis auxilii, nec*

aliud præveniens agnoscit, nisi divinas inspirationes quæ sine inevitabili raptu efficaces esse possunt. Unde subjungit idem Concilium: *Trahit quidem Deus, utique efficaciter, sed in ejus odorem currimus; non vi, non unco raptamur.* Certe non potest voluntas majori vi raptari, quam physica prædeterminatione, nec potest cogitari motio cui metaphora *unci* magis accommodetur. Satis ergo aperte docet illud Concilium Deum inspirationibus trahere homines, non alio auxilio, quod instar unci eos rapiat, ita ut resistere non possint.

7. Aliter respondet idem auctor, distinguens in illo auxilio entitatem ejus a ratione instrumenti primæ causæ; nam priori ratione, ait, est causa particularis, et ei resisti potest; posteriori autem modo continet in se intentionem voluntatis divinæ, quæ est causa universalis omnium entium, et ut sic ei resisti non potest. Dicit ergo Concilium loqui de illo auxilio sub priori ratione, non sub posteriori; hoc autem solum ex eo colligit, quod alias assertio esset falsa, quia, si illo auxilio, posteriori modo spectato, resisti posset, voluntati Dei posset resisti, quod falsum est. Sed non est hæc probabilior evasio. Primo ad hominem, repugnat propriæ doctrinæ; docent enim illi auctores auxilium esse per se efficax, et ex vi suæ entitatis et naturæ voluntatem ad exercitium physice determinare; ergo fateri debent tale esse illud auxilium, etiam in sua entitate præcise consideratum, ut illi non possit humana voluntas resistere. Item aiunt entitatem illius auxilii non subordinari nec subesse dominio voluntatis creatæ, sed potius illam sibi subijcere ex vi suæ entitatis; ergo non est in potestate voluntatis affectæ illa entitate talis auxilii, illo uti, vel non uti, sed potius auxilium semper illa utitur, ita ut voluntas in hoc non possit ei resistere. Item aiunt frequentissime, implicare contradictionem, entitatem illius auxilii conjungi cum carentia actus seu effectus ejus; ad id autem quod implicat, nulla est potentia; ergo non est in voluntate potestas conjungendi carentiam cum illo auxilio, vel cum entitate ejus præcise spectata; ergo nec est potestas resistendi illi entitati.

8. *Instantia.*— *Solvitur.*— Dicent fortasse entitatem illam prodire semper a voluntate Dei absoluta, et non posse aliter fieri, et inde provenire ut implicet conjungi cum carentia actus, ac proinde illam impotentiam resistendi non esse solum respectu entitatis auxilii, sed provenire a voluntate Dei. Sed in hoc etiam æquivocatio committi videtur, quia duæ vo-

luntates Dei absolutæ ibi distinguendæ sunt : una est voluntas faciendi in humana voluntate entitatem talis auxilii ; alia est voluntas absoluta, quod homo convertatur ; nam cum conversio actualis, et auxilium ad illam, in re sint distinctæ entitates, ut supponitur, etiam potest voluntas divina in ordine ad illas secundum rationem distingui. Quamvis ergo illa entitas auxilii non possit esse in rerum natura, sine voluntate Dei absoluta dandi illam, quia est causa efficiens ejus unica, nihilominus si talis entitas per se non est talis, ut ei voluntas humana resistere non possit, producere poterit illam Deus ex sola ista voluntate absoluta dandi illam, sine voluntate absoluta de actu conversionis hominis, quia hæc voluntas non est per se causa efficiens illius entitatis, nec repugnat fieri ex alia intentione divina, pro illius libertate. Neque in se habet unde repugnet separari a tali conversione, neque id recipit ex illa sola voluntate divina, per quam fit, quia ex vi illius solam entitatem intrinsecam recipit. Hoc autem dici esse impossibile in illa sententia.

9. *Alia instantia.* — *Retorquetur.* — Unde aiunt entitatem illius auxilii necessario procedere a voluntate Dei, qua vult ipsam hominis conversionem. Ergo in hoc necessario supponunt entitatem illam talem esse, ut ex vi suæ essentiae et proprietatis habeat ita determinare voluntatem humanam, ut habeat inevitabilem connexionem cum actuali ejus consensu. Non ergo habet illa entitas talem efficientiam, quia subest voluntati Dei de consensu voluntatis creatæ, sed potius ideo volendo Deus talem entitatem, necessario vult efficaciam illam consensus, quia est intrinseca et inseparabilis a tali entitate. Tandem ita hoc declaro, quia vel illa entitas de se et natura sua habet quod sit instrumentum absolutæ voluntatis Dei de actu voluntatis hominis, vel solum id habet ab extrinseco ex arbitrio Dei ; hoc posterius dici non potest in illa sententia ; tum quia alias posset poni in re illa entitas, et non assumi ut tale instrumentum ; tum etiam quia quærendum statim erit quid addat Deus illi entitati, volendo illa uti ut tali instrumento ; nam, si nihil addit, impertinens est illa entitas, quia sine illa posset Deus uti inspiratione ut instrumento ad talem effectum, et uti una inspiratione, et non alia, pro suo arbitrio. Si vero illa entitas natura sua habet innatam et inseparabilem illam rationem instrumenti, inutilis est distinctio, quia in entitate illius auxilii præcise spectata includitur essentialiter

ratio instrumenti, et ita non potest illi resisti magis sub una ratione quam sub alia.

10. *Concilii explicatio rejicitur.* — Secundo, hinc facile ostenditur alienam esse expositionem a mente dieti Concilii. Primo, quia non est verisimile Concilium cogitasse de distinctione obscurissima, et quæ vix possit intelligi, minusque credibile est ex illa pendere concordiam libertatis cum auxilio efficaci gratiæ, et veritatem illius propositionis, quod homo possit illi resistere, et quod Concilium, tam absolute, et sine distinctione affirmaverit posse voluntatem illi auxilio resistere. Secundo et maxime, quia Concilium expresse loquitur de illo auxilio, ut est virtus, seu instrumentum Dei ad trahendam voluntatem. Hoc aperte probamus ex illis verbis : *Interiori quodam et occulto secretioris inspirationis afflatu contacta, et ex illis : Nec tamen tale sit hujusmodi trahentis Dei auxilium, etc.* ; auxilium enim, quo Deus nos trahit, instrumentum Dei est ; unde cum a Concilio consideretur ut per illud nos Deus trahit, evidenter loquitur de illo ut instrumento Dei. Item infra eodem modo considerat divinas inspirationes, quando dicit, *non rapere nos inevitabiliter*, ac denique, metaphora unci, apertissime declarat, et sermonem esse de auxilio, ut instrumento Dei, et Deum non rapere nos suo auxilio, neque uti illo ut tali instrumento quo veluti unco raptemur. Tertio, per illam distinctionem destruitur doctrina Concilii, nam quacumque ratione non possit resisti illi auxilio, tollitur libertas actus ; si enim illi entitati secundum se spectatæ resistere non possemus, non esset consensus noster liber ; ergo si illi ut instrumento Dei resistere non possumus, consensus non erit liber. Probatur consequentia, quia, quod ad nos attinet, tanta necessitas nobis infertur uno modo sicut alio ; quod autem ex parte agentis hoc vel illo modo fiat, nihil ad nostram libertatem refert, ut in primo prolegomeno late ostensum est. Et confirmatur, quia illa entitas non habet rationem divini auxilii, nisi quatenus per voluntatem Dei datur ; ergo si illi, ut subest voluntati, resistere non possumus, simpliciter auxilio divino resistere non possumus, cujus contrarium simpliciter, et sine addito vel declaratione docuit illud Concilium.

11. *Alia ejusdem Concilii expositio.* — *Scripturam interpretandi regula.* — Addunt ergo tertiam explicationem, dicentes : *Vel potest explicari Concilium de resistentia in generali quadam acceptione, quatenus posse*

resistere est idem quod posse dissentire, si velit, ut loquitur sanctum Concilium Tridentinum. Per quæ verba videntur velle hic etiam applicare explicationem de sensu diviso. At profecto, si liceret hoc pacto Concilia interpretari, nihil certi in illorum definitionibus ac doctrinis haberemus. Quoties enim aliquis sentiret verba Concilii contraria ei opinioni cui ipse affectus est, posset ad libitum verba ad improprium sensum detorquere, vel significationem novam, et communiter non usitatam illis affingere. Certe si hoc licitum est, frustra Augustinus, ex vi et proprietate nominis *adjutoris*, quo Deum invocamus : *Adjutor meus esto, ne derelinquas me*, Psalmo 78, colligit etiam nos aliquid agere : *Nam si nihil agis* (inquit), *quomodo juvaris*, tract. 4 in 1 epist. Joan., et sermone 13 de verb. Apostoli ; imo universa Ecclesia, ex proprietate verborum : *Hoc est corpus meum*, colligit realem præsentiam corporis Domini in Eucharistia. Et simili modo, ex proprietate verborum quibus idem Christus Deus et homo dicitur in Scriptura, veritatem mysterii Incarnationis, secundum substantialem unionem duarum naturarum, comprobavit. Et in universum, hæc regula interpretandi Scripturam, ut a proprietate verborum sine auctoritate certa, vel ratione cogente non recedamus. Quæ in Conciliorum interpretatione servanda est, præsertim quando doctrinam tradunt contra hæreticos ; tunc enim summa industria omnem sermonis improprietatem et ambiguitatem vitare student, ne hæreticis occasionem tergiversandi, et eludendi doctrinam relinquunt, quoad fieri possit.

12. Nullo ergo modo admittenda est illa interpretatio, quæ a proprietate verbi *resistendi* recedit. Quid enim, quæso, est *resistentia in generali quadam acceptione* ? Aut quis unquam intellexit verbum *resistendi* habere locum ubi non est oppositio, seu contraria motio ? Resistentia ergo intrinsece involvit compositionem contrariæ motionis, et ideo interpretari potestatem resistendi in sensu diviso, perinde est ac dicere illam non esse potentiam resistendi, sed cessandi ab opere, si motio alias cesset. Unde recte argumentatur vir ingeniosus a simili, ex verbis Pauli, Roman. 4 : *Ubi non est lex, nec prævaricatio* ; nam quia prævaricatio includit compositionem cum lege cui opponitur, optime concludit, ubi est prævaricatio, supponi legem ; et cessante lege, non habere locum prævaricationem. Ita ergo resistentia intrinsece dicit compositionem cum opposita motione, et ideo si liberum arbitrium dici-

tur posse resistere auxilio gratiæ, supponitur auxilium movens arbitrium ; si autem non potest impedire opus auxilii, nisi prius auferatur auxilium, illud non est posse resistere ; destruitur ergo sententia Concilii, cum sensus divisus in ea cogitatur. Quod a fortiori probant omnia dicta in simili de Concilio Tridentino, nam verbum *resistendi* evidentius facit sensum compositum, et idem sensus æque necessarius in præsentia est, ut sententia Concilii sit hæreticis contraria, et ut ex illa potestate resistendi recte libertatis usum inferat, ut satis in cap. 34 explicatum est.

13. *Auxilium efficax quale sit.* — Hinc tandem Ledesma, art. 13, ad 5, fatetur auxilium efficax non esse tale ut inevitabiliter inferat actum : *Nam auxilia* (inquit), *quæ inevitabiliter actus inferrent, tollerent libertatem, quia non relinquunt in potentia potestatem qua possit actus vitare.* Et de talibus auxiliis (inquit) loquitur Concilium Senonense. Unde consequenter ait ex auxilio efficaci actum sequi infallibiliter, non inevitabiliter ; quia cum moveat potentiam et prædeterminet illam juxta naturam et conditionem voluntatis liberæ, semper manet in potentia virtus et potestas ad actum vitandum, si vult. Et ad hoc suadendum, adducit communem doctrinam distinguentem inter illos duos terminos, et asserentem, contra Cajetanum, effectus liberos et contingentes, respectu divinæ voluntatis, venire infallibiliter, non inevitabiliter, quia infallibilitas respicit scientiam, inevitabilitas dicit ordinem ad causas secundas, quæ *si evitare nequeunt*, inquit, *effectus productionem, ad illam necessitantur.* Unde, licet expresse non dicat posse hominem resistere auxilio efficaci, id aperte sentire videtur ; tum quia per illam doctrinam vult satisfacere Concilio Senonensi, ut ipsemet declarat ; tum etiam quia si effectus non est inevitabilis, supposito auxilio, ergo potest liberum arbitrium illud evitare ; ergo potest impedire ; ergo potest auxilio resistere.

14. *Responsio Concilio non satisfacit.* — Hæc vero responsio imprimis non potest Concilio satisfacere ; tum quia manifeste loquitur de potentia resistendi, quæ respectu ejus auxilii potest in actum reduci, ut patet ex testimoniis Scripturæ, quæ adducit ; tum etiam quia non agnoscit auxilium præveniens, nisi divinas inspirationes, quibus immediate conjungi dicit consensum vel dissensum, et tamen respectu illarum ponit resistendi potentiam, non respectu alterius auxilii prædeterminantis, imo sentit non dari, quia illi resistere